



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

R. P. Ioannis Azorii Lorcitani, Societatis Iesv Presbyteri Theologi, Institvtiones Morales

In Qvibus Vnivers[a]e Qvaestiones ad Conscientiam recte aut prauè
factorum pertinentes, breuiter tractantur

Azor, Juan

Coloniae Agrippinae, 1616

22. Quomodo fieri resignatio debeat per Procuratorem.

urn:nbn:de:hbz:466:1-14007

non aliter, nec alio modo, nequaquam Titium amittere suum beneficium: quoniam Titius abdicat se beneficio ea conditione, ut Caio detur: ea igitur non impleta, beneficium penes Titium manet. Sicut cum beneficium iuripatronatus subiectum dimittitur, abique Patroni consensu dimissio non valet, & ius remanet penes dimittentem, eo quod tacite conditio subesse videatur, si Patronus consensum præstiterit. Ita cum quis beneficium cedit in alterius gratiam, & non alio modo, conditio adest expressim, ut resignatario conferatur. *Rebuff. loco citato, num. 4.*

Quinto quaeritur, An licita sit resignatio beneficii cum reservatione certæ pensionis? Respondeo, reservationes pensionum vsu tantum, & iure nouo esse introductas: iure quidem communi concessum legimus, ut ex iusta causa pensio possit imponi ex redditibus beneficii soluenda, ut colligunt Auctores ex capitulo ad audientiam 2. de rescript. cap. Quamuis, de preben. in sexto, capitulum. Conquerente, de Cleric. non rescriptis. Sed præter ius antiquum commune introductum est, ut dimittenti sponte beneficium, quod habet, pensio referretur. Deinde, ut beneficium cum vacat, vni conferatur, & alteri detur pensio ex illius beneficii fructibus soluenda. Nihilominus hæc pensiones, cum in subsidium vitæ, & gratia alimentorum concedantur, causam habent honestam.

Sexto quaeritur, Quibusnam de causis soleant modo pensiones concedi, cum beneficium dimittitur? Respondeo, eas causas ad duo capita reuocari, Aut enim concedantur ex causa quam vocant lucrativam, aut ex causa onerosa. Primo modo detur pensio, quando vacans beneficium vni conferatur, & alteri pensio datur, ut habeat inde vitæ subsidium: atque hæc pensio data, censetur causa paupertatis, & alimentorum. Deinde ex causa onerosa datur pensio, cum conceditur alicui, eo quod lite cesserit, sequere in gratiam alterius, beneficium abdicauerit: illa enim pensio conceditur gratia concordie, & pacis; hæc vero, ne beneficium dimittens, magnum detrimentum patiatur. Solet etiam pensio constitui, cum beneficium vnum cum alio permutatur: tunc enim si alterutrum eorum plures redditus habeat, compensatio fit auctoritate Roman. Pontificis reservata pensione. *cap. Quæstiones, de rerum permutat.*

Septimo quaeritur, An locorum ordinatis liceat beneficii resignationem admittere reservata pensione? Respondeo, minime: neque enim ordinarius loci potest beneficium pensionem imponere, cum sit iure communi sancitum, ut beneficia sine diminutione conferantur, *cap. 1. ut beneficia sine diminutione conferantur.*

Octavo quaeritur, Quibus beneficii pensio possit imponi? Respondeo in Concilio Trident. *sess. 24. cap. 13. de reformat.* sic esse statutum: *Ad hæc in posterum, omnes ea Cathedralis Ecclesie, quarum redditus summam ducatorum mille, & Parochiales, que summam ducatorum centum secundum verum annum valorem non excedunt, nullis pensionibus, aut reservationibus fructuum grauentur: ex quibus verbis constat huic decreto esse expresse derogandum, cum pensio aliter imponitur, iuxta ea, que tradidit Pius 4. *decis. 494. lib. 2.* In Concilio Lateranensi sub Leone X. statutum fuit, ne mensuræ Episcopales onerarentur pensionibus, nisi ex causa resignationis, vel etiam alia, quæ in Consistorio secreta licita, & probabilis esse videatur. Vnde Romanus Pontifex, quando imponit pensionem in Ecclesiis Cathedralibus per obitum vacantibus, solet expressim derogare Concilio Later.*

Nono quaeritur, An fieri debeat mentio primæ pensionis in beneficio constitutæ, cum in eodem imponitur secundæ, etiam ex causa resignationis? Respondeo, debere: alioquin secunda pensio nullius est momenti. *Cassadorus decis. 4. de pensionibus. Gigos de pensionibus quasi. 29. Mandosius in Praxi de Signatario gratia, titulum. Pensiones.* Nam Romanus Pontifex Ecclesie duplex onus imponere velle non creditur, *cap. Mandatum, & cap. Literis, de rescript. cap. duobus, eodem tit. in sexto.* sicut testatur non videtur dupliciter

velle hæredem grauare, l. Titio testamentum, §. Inuitam, de Legat. 2. l. uxorem, §. in testamento, de legat. 3. Ac proinde si Roman. Pontifex id sciret, absque dubitatione, vel secundam pensionem non imponeret, vel difficilius id faceret, & subreptitia impetratio haberetur, cum aliquid taceretur, quod si diceretur, Roman. Pontifex pensionem denegaret, hoc enim literas, & rescripta Pontificia vitare solet, *cap. super literis, capit. in nostra. capit. Postulasti, de rescript.*

C A P. XXII.

Quomodo fieri resignatio debeat per procuratorem.

Primo quaeritur, An quis possit procuratorem constituere ad suum beneficium dimittendum? Constans est omnium opinio quam habet *Rebuff. in praxi benefic. part. 3. tit. de procurat. ad resign. consil. num. 1.* & *Bonifacius in Clem. 1. de renuntiat. & Hostien. in sum. tit. de renunt. num. 7.* posse. Nam ex l. *Labeo, ff. de usucapionibus.* qui potest aliquid per se, id ipsum potest etiam per alium, nisi lege prohibeatur: Imo etiam infirmus quamvis morti vicinus, dum est mentis compos, potest per procuratorem suum beneficium deponere. *Paris. consil. 15. num. 9.* Episcopi etiam, & Cardinales possunt per procuratores sese officio, & dignitate abdicare. *Serenissimus Ferdinandus, Magnus Hetruriae Dux abdicauit se Cardinalatu per Procuratorem, ut ait Flamin. lib. 8. de resig. q. 4. & Gregorius XII. Pontificatum deposuit per Procuratorem, ut refert Platina in vita eius.*

Secundo quaeritur, An quis possit laicum in procuratorem eligere, per quem suo beneficio cedat? *Bonifacius Vitalinus in Clem. 1. num. 41. de renuntiat.* negat, quia quisque consensum præstare debet per Clericum in beneficium recipiendo. *c. accedens, de preben.* Deinde quia res spirituales, & Ecclesiastica negotia, & cause tractari & agi non possunt per laicos, *c. decernimus, de iudiciis, & cap. Cum olim, de arbitris.* Sed verius est, quod cæteri tradiderunt, licere cuique per procuratorem laicum ad id constitutum, suum beneficium dimittere *Glossa communis consensu recepta in Clem. 1. in verbo, Procuratorem, de renuntiat. Rebuff. loco citato, num. 17. Cardin. & Paulus in Clem. 1. de renuntiat.* nam laicus procurator non suo, sed nomine alterius beneficio cedit. Imo, ut docet *Calderinus consil. 1. de preben. & Ioan. Andreas in c. Accedens, eod. tit. & Decius in c. decernimus, de iudiciis,* potest quis beneficium sibi absenti collatum per procuratorem acceptum habere, præbendo consensum.

Tertio quaeritur, An monachus, siue alius quilibet religiosus possit procurator iure constitui, per quem aliquis suum beneficium deponat? *Cardinalis Zabarella, Paulum secutus in Clem. Religiosus, de procuratoribus,* affirmat ob eam causam, quod licet Monachus nequeat ad iudicia, & lites procurator eligi, tamen ad negotia, ac præsertim Ecclesiastica potest. Aliis tamen secus videtur, quos sequitur *Flaminus lib. 9. q. 4. de resig. & ante eum videtur sequutus Vitalin. in Clem. religiosus, in verbo, officium, nu. 3. de procuratorib. eo quod c. in Monachi. 2. 16. q. 1. constituitur, Monachi à monasterio foras egredientes, ne aliquod ministerium Ecclesiasticum præsumant agere, prohibemus, nisi forte eum Abbatu imperio. Similiter ut nullus eorum, id est, Monachorum forensis negotii susceptor, vel executor existat, nisi quod monasterii expofcit utilitas, Abbate sibi nihilominus imperante. Nimirum Canones, & iura hoc merito vetere: aliter enim si fieret, à diuinis auocarentur Monachi, & vagandi huc, & illuc occasionem artiperent, teste *Archidiacon. in eod. c. Monachi.* Dicendum est posse monachum procuratorem constitui, si superioris consensus accesserit, *Glossa & alii, Clem. 1. de renunt. Rebuff. loco citat. n. 17.**

Quarto quaeritur, An multi possint procuratores constitui? Respondeo, posse, ut *Glossam secuti Doctores testantur in Clem. 1. de renuntiat.* Porro possunt multi procuratores eligi, dupliciter: Aut enim datur singulis in solidum potestas, ut meo nomine quisque beneficio cedat, & tunc

quilibet per se eam potestatem accipit: aut datur omnibus simul, & tunc vnus non potest sine alio cedere beneficio. Primo modo constituuntur, si clausula sic habeat: *Constitutio N. & N. & quilibet ipsorum in solidum: Vel si appositus fuerit clausula: Promitto me ratum & acceptum habiturum, quicquid ab eis vel altero ipsorum factum fuerit. Quæres, an quando duo simul & non in solidum constituuntur, satis sit si vnus post alium consentiat: an vero necesse sit vt simul ambo consentiant? Respondeo, sufficere, si vnus post alium præbeat consensum. *Sarmen. lib. 1. decisioe 144. apud Flaminium lib. 9. quest. 3. num. 27. de resigna. Sic etiam Deciso Auditorum in Rota, iusto Sarmenfi lib. 1. Decis. 44.**

Sed dubitatur, An si vnus ex prædictis procuratoribus constitutus non in solidum consentiat, & postea moriatur is, qui eos procuratores elegit, possit alter consentire in resignatione beneficii post obitum principalis resignantis? Respondet Sarmenfi *ibidem*, Auditores in Rota definiisse, posse, & sufficere si procurator post mortem domini consenserit.

Quinto quaeritur, An vnus & idem possit procurator constitui, vt nomine Titii beneficium dimittat, & nomine Caii resignari, in cuius gratiam Titius beneficium deponit, consensum præstet in pensione, vel reservatione fructuum, qui Titio resignanti beneficium referuantur? Respondeo posse. *vt probat Flamin. lib. 9. de resign. q. 13. nu. 8.* quia vnus & idem potest esse procurator duorum, & item in permutatione duorum beneficiorum, vices duorum agere, & huiusmodi procurator, constitutus a resignario ad consentiendum pensioni, potest consentire post cessionem factam a resignante, & ante illam, sed sub conditione si cedat resignans.

Sexto quaeritur, An procurator debeat constitui per scripturam publice confectam? Respondeo, debere *Rebus loco citato, numer. 6.* Vnde non sufficit, si datum mandatum, acceptumque sit per literas missas: verbi gratia, non sufficit, si Titius missis Romam ad Caium literis, scripserit: *Cura tanquam procurator meus, vt porrecta supplicatio signetur, imo etiam si addiderit, quia iam est datum mandatum: nequit Caius ex his verbis ad Caium scripsit, nequit ipse Caius post obitum Titii, suum præbere consensum.*

Sed quot, & quænam in mandato ad beneficium resignandum tradito requiruntur? Respondeo *ex Rebus loco citato, num. 8. & sequentibus, & ex Flaminio lib. 9. de resignat. quest. 7.* in primis debere opera publicæ tabellionis siue Notarii esse in scriptum redactum, & ob signatum signo publico iudicis ordinarii, vel communis, & postea a dante mandatum recognitum, & ab ipso tabellione subscriptum. Debet item procurator specialiter constitui, ita vt expressim ei detur facultas, qua nomine alterius possit beneficio cedere. *Rebus loco citato.* In mandato quoque necesse est, vt beneficium exprimat, & locus vbi sit situm. *Rebus ibidem.* Quæres an sufficiat, si quis fuerit constitutus procurator generalis cum libera, & amplissima potestate? Ratio dubitandi est, quia procurator specialis, & procurator generalis, cum libera administratione, æquiparantur. *leg. Procurator cum libera. ff. de procurato. Dicendum est ex communi sententia, quam habet Rebus loco supradicti ex Hostiensis in summa tit. de renuntiat. num. 7. & Cardin. in Clemen. 1. de renunt. num. 7.* non satis esse: quoniam renuntiatio, est quædam donatio; Sed habens etiam liberam & amplissimam potestatem administrandi, donare non potest. *Contra iuris §. Si filius. ff. de pactis. & l. procurator cui. ff. de procurat. & cap. 2. cod. tit. in sexto.* Ex dictis perspicitur, non sufficere, si procurator sit factus per literas de mandato ante iam tradito, sed nondum ad ipsum perlato: nõ enim potest beneficium resignare, nisi prius mandatum acceperit: debet autem accipere, vel per nuntium, vel per Epistolam à Domino missam. *Rebus loco cit. nu. 24.*

Sed quid dicendum, si Titius mandatum Caiõ dederit, vt nomine ipsius apud Papam, vel ordinarium loci beneficio cedat in gratiam Sempronii, & Caius mandato ac-

cepto, cedit absolute, & simpliciter, & non alterius gratia coram ordinario, huiusmodi renuntiatio valet? Ratio dubitandi est. Nam ex vna parte Titius mandatum dedit, vt Caius in gratiam Sempronii cederet beneficio apud ordinarium loci: ex altera parte, Caius cedit simpliciter, omittens id quod Titius non bene mandauerat, hoc est, cedit simpliciter, quia apud ordinarium loci, in gratiam alterius resignatio beneficii fieri non potest. Nam talis resignatio Simoniacæ censetur. *Cassad. decis. 2. de Simonia.* Respondeo, valere, quia in hoc potius habetur ratio eius quod procurator bene gessit, quam eius quod Titius non recte mandauit. *Sic Rebus loco citato. 85. & 87. Paris consil. 15. num. 13. & 14.* Ex quo efficitur, vt si postea ordinarius loci, qui renuntiationem simpliciter factam admittit, beneficium dederit Sempronio, ob cuius gratiam, resignationem facere procuratori Titius mandauerat, valeat, quod gessit ordinarius loci.

Septimo quaeritur, Possitne aliquis procuratorem constituere ad beneficium accipiendum & dimittendum? Respondeo, *cum Rebus loco citato, n. 16. & Bellam. de permuta. benef. p. 8. q. 2. num. 17.* minime, quia nequit procuratorem constituere Titius nisi ad resignandum, quod obinet beneficium. Vnde procurator vi huiusmodi mandati resignare beneficium non potest: imo nullus iure potest beneficium accipere, habens in animo id dimittere, nõ enim illi datur beneficium, vt dimittat; ac propterea iure ab eo, cui beneficium confertur, iusturandum exigitur, quo iurat se illud non accipere animo & voluntate illud deponendi.

Octauo quaeritur, An qui in curia Romana commoratur, possit procuratorem constituere ad resignandum ibidem beneficium, cum præsens ipse adest? Respondeo *cum Gigante, De pensionibus q. 11.* minime, quia vñ est receptum, vt præsentis in curia, non nisi per seipsum consensum præstent: & regula Cancellariæ 44. à Sixto V. edita, sic habet: *Apostolica litera nullatenus expediantur, nisi resignans, vel cedens, si præsens in Romana curia fuerit, personaliter, alioquin per procuratorem consensum præbeat.* Quæ quidem regula locum etiam habet in Cardinalibus, qui cum resignant beneficia solent præstare consensum per syngrapham propria manu subscriptam, & missam ad notarios Cancellariæ, vel Cameræ Apostolicæ constitutos: quoniam etiam notarii consueverunt ipsos adire, vt consensum eorum accipiant: *vt restatur Flamin. lib. 9. de renunt. q. 12.*

Nono quaeritur, Intra quantum temporis spatium procurator ab accepto mandato, præstare consensum debeat in resignatione beneficii? Respondeo in hunc modum: postquam semel est supplicatio signata, procurator consensum præstare debet ante sex menses, ita vt possit intra sex menses resignatio publice denuntiari, iuxta formulam à Gregorio XIII. in constitutione de publicandis resignationibus sancitam. Si vero supplicatio signata non est, quia portecta non fuit, admitti solet mandatum multo tempore antea datum. *Gigas consil. 11. n. 6. Cassador. decis. 1. nu. 2. de renunt.* quoniam voluntas durare videtur quousque ab eodem reuocetur: quamuis Paul. Castren. in consil. 12. sentire videatur lapsu quadriennii finire mandatum, & in Francia mandata de resignando beneficio data, post annum elapsum, non admittuntur. *At vt restatur Flamin. lib. 9. de resignat. quest. 13.* communis opinio est, vt post quadriennium possit præstari consensus.

Decimo quaeritur, An resignatio beneficii per procuratorem, trahatur ad diem, quo datum est mandatum de beneficio resignando, ita vt ab eo die beneficium vacasse dicatur? Respondeo, ab eo die trahi quia eo ipso quod Titius Caiõ mandauit, vt ipsius nomine beneficio cederet, videtur pro derelicto beneficium habere, licet procurator nondum esset: & proinde renuntiatio postea per procuratorem facta, & per superiorem admitta, trahitur ad diem, quo Titius Caiõ mandauit. Quo fit, vt si Titius in mense Augusto Caium procuratorem constituit, & idem Titius mense Septembris penes ordinarium loci, bene-

ficio

ficio cessit, & mense Octobri vi mandati, Caius procurator beneficium resignavit, valeat resignatio per procuratorem facta, licet posteriori, quia retrahitur ad diem, quo Titius tradidit mandatum, Caium constituit procuratorem. *Flamin. lib. 9. de resignat. q. 15. n. 1. & sequentibus.*

Vadecimo quaeritur, An possit procurator constitui post supplicationem signatam, an vero necesse sit ante eam eligi? Respondeo, posse post signatam supplicationem, quoniam potius procurator constituitur ad consensum praestandum in resignatione beneficii coram notariis in Cancellaria vel Camera Apostolica, ut Pontificiae literae conficiantur, sine quibus resignatio minime subsistit. *Sar. in regulis, de infirmis resig. q. 31.* Hinc fit, ut si supplicatio sit signata, & per Datarium rata & accepta habita mense Septembris; procurator vero sit constitutus mense Octobri, qui deinde mense Novembri consensum praestitit in resignatione coram notariis in Cancellaria, vel Camera Apostolica, resignatio valeat, quamvis supplicatio antea per alium potestata fuerit, & a Pontifice signata, & per Datarium recognita.

Duodecimo quaeritur, An possit procurator constitui ad beneficium resignandum certo modo, forma, & conditione, quam in resignando servare debeat? Respondeo distinguendo: aut constituitur procurator ad beneficium resignandum coram ordinario loci, aut coram Romano Pontifice. Si primum, tunc non potest procurator iure constitui ad resignandum, nisi absolute & simpliciter, quia apud locum ordinario non nisi hac ratione possunt beneficia dimitti: alioquin resignatio pro simoniaca habetur. *Cassid. decis. 2. de simonia:* si secundum, potest procurator constitui ad beneficium resignandum certo modo & conditione in resignatione servanda; quam si procurator praetermisit, resignatio irrita est & inanis, quoniam procurator mandati fines transire non potest. *diligenter, ff. mandati. cap. cum dilecti, in fine, de rescript. c. cum olim, de offic. iud. deleg.*

Ex quo efficitur, ut si procurator delectus ad resignandum coram summo Pontifice in gratiam Titii, resignet favore, & causa alterius, resignatio non subsistat. Item constitutus procurator ad beneficium resignandum coram Papa cum reservatione omnium fructuum, si resignet nullis fructibus reservatis, nullius est momenti resignatio. Quaes quid dicendum, si Papa nollet concedere reservationem omnium fructuum, ut modo fit, & procurator resignet reservata dimidia parte fructuum: An tunc valeat resignatio? Aiant quidam, ut refert *Flamin. lib. 9. de resignat. q. 17. num. 20.* resignationem non valere, quia non est servata mandati conditio. Verum probabilis alii sentierunt *refe eodem Flam.* resignationem subsistere; quia cum Papa possit huiusmodi conditionem de reservatione omnium fructuum excludere, procurator vtiliter rem domini sui gessisse videtur, curando ut saltem dimidia pars fructuum ei reservaretur. Quod si nullam procurator diligentiam adhibuit ad hoc, ut domino fructus reservarentur, resignatio est irrita & inanis; quoniam fines mandati transiit. Item procurator constitutus ad resignandum coram Romano Pontifice cum reservatione certa pensionis, si absque ea conditione resignavit, resignatio non valet. Imo si in mandato expressum fuit, ut procurator resignet reservata pensione propter labores, debet eam cum am procurator exprimitere. Si fuerit itidem in mandato constitutum, ut resignet reservata pensione libera & exempta, non valet resignatio, etiam si reservata fuerit pensio, non tamen libera & exempta, & dominus habet ius agendi contra resignatarium, ut supplicatio corrigatur, & ut aiunt, reformetur, eo quod non fuerit servata mandati conditio. Sed quid si in mandato solum est expressum ut pensio reservaretur, & deinde supplicatio signata fuit cum clausula de exemptione pensionis: & postea consensum praestitit procurator absque clausula de exemptione pensionis, & literae Pontificiae sunt absque eadem clausula expressa? Respondeo, valere nihilominus resignationem,

quia literae & consensus cum mandato consentiunt. Et ut habet regula Cancellaria, iudicandum est non ex supplicationis, sed ex literarum expeditarum formula: & princeps qui concedit amplius quid, quam in supplici libello oblato petum fuerit, concessio continet tacitam conditionem, si partes illae uti velint: ut colligitur ex l. si quis in conscribendo. C. de Paolis. Si item in mandato exprimat ut referretur pensio, si fuerit clausula apposita, etiam literis minime expeditis, solvenda, etiam per successorem, & fuit beneficium resignatum reservata quidem pensione, sed absque illa clausula, resignatio nullius momenti videtur esse. *Flamin. de resignat. lib. 9. quaest. 17. num. 53.* quia mandati conditio praetermissa est: volunt tamen quidam *refe Flaminio loco citato,* resignationem valere, propterea quod cum clausulam vsus curiae non admittat, si in mandato contineatur, ut beneficium resignetur, reservata pensione in fructibus, redditibus, proventibus, iuribus & distributionibus quotidianis, quae acquiri solent ab his qui resident, & diuinis officiis intersumt, resignatio subsistit, si reservata sit pensio cum praedicta clausula omnis illis verbis (qua acquiri solent ab his qui resident) nam haec verba cum iure communi pugnant, & proinde continent id, quod iure fieri non potest. *Flamin. de resignat. lib. 9. quaest. 17. num. 56.* Si in mandato contineatur, ut beneficium resignetur reservata pensione, nequit procurator beneficium cedere fructibus reservatis. *Paris. consil. 143. num. 35. volumine 4. Bursat. consil. 395. num. 12. volum. 4.* quia si mandatum ad relata non refertur, mandati exemptio locum non habet. *L. instrumento, ff. de conditioni. & demonstrationi.* Item potest constitui procurator ad beneficium resignandum in gratiam N. modo, & forma, & conditione, quae procuratori videbuntur, & beneficio cedere, reservata cuicumque alteri pensione quam veluerit. Quid si tunc procurator resignet reservata pensione non N. sed ei, qui ipsum procuratorem constituit? Respondeo, resignationem valere: quia procurator fecit meliorem conditionem domini. *Flamin. de resignat. lib. 9. quaest. 17. num. 78.* Sed quaeratur aliquis, An tunc licite procurator beneficium dimittat, reservata tertio, sed non nominata pensione, cum facultate eam transferendi, vel cum reservatione regressus, si pensio non solvatur? Quidam respondeant *refe Flaminio de resignat. libro 9. quaest. 17. num. 80.* resignationem valere, quia constitutus est procurator ad resignandum modo, forma, & conditione, quae ei videbuntur. Aliis oppositum probabilius videtur, quia in mandato nominatus non est is, cui est pensio reservata. *Bursat. consil. 395. volum. 4. Flaminio loco citato.* Quando etiam quis constituitur procurator ad beneficium resignandum in gratiam personae nominandae per ipsum procuratorem, nominare potest quem voluerit. *Bursat. consil. 390. & 395. nu. 24. volum. 4.* Si roges, An tunc procuratori liceat seipsum nominare? Respondeo, ex communi sententia, minime. *Bursat. consil. 395. num. 24. volum. 4.* quia cui est data facultas eligendi, vel nominandi, seipsum eligere, vel nominare non potest. *leg. si mandavero. §. si tibi certum, ff. mandati:* & data potestate vendendi pignus cui voluerit, non potest sibi vendere; & tradita alicui pecunia, ut det cui ipsi placuerit, neque eam dare sibi: neque procurator a patrono constitutus, potest ipsum patronum nominare & offerre: quamvis executor nominatus ad distribuendum aliqua inter pauperes, possit sibi etiam dare tanquam pauperi. Quaes, An si procurator electus ad beneficium resignandum cum reservatione regressus, accessus, vel ingressus, vel cum reservatione quam vocant coadiutoriae, & resignat beneficium sine vlla reservatione, valeat resignatio? Respondeo, distinguendo: aut procurator resignavit nulla diligentia in ea re posita, aut secus: si primum, resignatio, non valet: si secundum, valet, quia per ipsum non stetit, quo minus mandati conditio servetur.

Ex dictis apparet, quando procurator constituitur ad beneficium resignandum coram Papa, non valere resignationem, si coram ordinario loci resignetur benefi-

cium.

ficium. *Rebuff. in praxi benef. tit. de procura. ad resign. constit. num. 21.* & è contrario, si constituitur ad resignandum coram ordinario loci, resignationem minime valere, si coram Papa beneficium dimittatur. *Flamin. de resign. lib. 9. q. 17. num. 136.* Et ideo ad dationes tollendas, cum datur facultas procuratori resignandi beneficium absolute & simpliciter, solet hæc clausula apponi: vt possit resignare coram Papa, vel ordinario loci. Si mandatum sit procuratori vt simpliciter beneficium resignet coram Papa, & resignauerit reseruata domino pensione, vel regressu, vel fructibus, resignatio subsistit, quia procurator in ea meliorem fecit domini conditionem. Item habens mandatum ad resignandum reseruata pensione, cum potestate transferendi illam, si resignauit absque facultate transferendi pensionem, rara non est resignatio, quia procurator mandati fines excessit. *Flamin. de resign. lib. 9. quest. 17. num. 34.*

Decimotertio quæritur, An mandatum de beneficio resignando traditum, mandantis morte finiatur? Respondeo, finiri: Glossa communi consensu recepta, in *Clemen. 1. versu, Quomodolibet, de renuntiatio.* idque colligitur ex *Clem. ult. de procuratorib.* vbi dicitur: *Procuratorem à Prelato, Rectore, vel alio quolibet pro Ecclesia sua, vel pro beneficio constitutum, per mortem constituentis reuocari censuimus.* Sic ibi. Hoc item locum habet etiam in procuratore mortem mandantis ignorante: morte enim omnes obligationes & vincula soluntur. *Barba. consil. 49. lib. 4. ex Authen. de nuptiis. §. deinceps. 2. in summa. ff. de sent. & re iudicata. l. Noyatius. ff. de reg. iuris.*

Quæres, An mors mandantis debeat idonea & legitima probatione constare? Respondeo, debere, quia mandans, nisi mortuus esse probetur, decessisse non creditur, iuxta communem sententiam Doctorum, vt dicit *Flamin. de resign. lib. 9. quest. 24. num. 3.* Probari vero mors mandantis debet, vel publica voce, rumore, & fama: vel ex vestelugubri confanguineorum; vel ex testimonio duorum affirmantium se vel morti, vel funeri, & sepulture eius interfuisse. *Flamin. loco citato.* Quo fit, vt mortuo resignante, procurator non possit porrigere supplicationem, & postea præstare consensum in gratiam resignatarii: quare beneficium obitu resignantis vacabit. Quotiescumque tamen procurator ad resignandum beneficium electus obtulerit supplicationem, quæ fuerit à Papa signata, & à Datarario postea recognita viuo resignante, post mortem eius expressim præstare consensum potest in Cancellaria, vel Camera Apostolica, vt sapè in *Adiutorio Rotæ est definitum.* quam sententiam Constitutione edita Alexander Sextus approbavit, & postea Leo Nonus, quorum Pontificum Constitutiones hac de re legi possunt apud *Flaminium Parisium de resignationi. tomo 2. lib. 9. quest. 24. num. 14.* & in *l. Nam & Seruius. ff. de negotio gestis* habetur: procuratorem post mortem domini posse incæpta perficere, non autem inchoare noua. Si statuto caueatur, ne testamentum valeat, nisi in registrum, & librum communem redactum, & Titius testamentum fecerit, & procuratorem constituerit, qui illud in registrum redigeret: poterit procurator post mortem testatoris id præstare, quia mandatum videtur esse collatum ad tempus post mortem succedens. His accedit, quod post supplicationem viuo resignante, Pontifici porrectam, & ab eo signatam, & à Datarario recognitam, ius est resignatio acquisitum: nam consensus, qui postea expressim in Cancellaria, vel Camera Apostolica præstari requiritur ad literas Pontificias conficiendas, sine quibus possessio beneficii capi non potest, & retrahi solet ad diem, quo porrecta est supplicatio, & recognita à Datarario. Hinc fit, vt talis procurator post mortem resignantis cogi possit ad præstandum expressum consensum in Cancellaria, vel Camera Apostolica, vt literæ in gratiam resignatarii expediri queant. Si tamen dominus beneficii supplicationem porrexerit, & postea procuratorem constituerit ad consentiendum in resignationem, nõ potest huiusmodi procurator post mortem illius con-

sentum præstare, quia quod ad procuratorem spectat, res est integra, cum nihil adhuc agere cœperit: ac ideo mandatum obitu mandantis hæc in parte finitur. Eadem ratio est, quoties procurator vigore tantum literarum, non mandati porrexerit supplicationem, eamque signandam curauerit: hic enim post mortem resignantis nequit præstare consensum. Auctore item *Saraceni de infirmitat. resignantib. quest. 11. iuxta Alexandri V. I. Constitutionem* nequit procurator post annum elapsum ab obitu resignantis præstare consensum.

Quæres, An procurator constitutus ad beneficium resignandum, non simpliciter, sed cum conditione, videlicet cum reseruatioe fructuum, vel regressus, vel pensionis, possit etiam consensum præstare post resignantis excessum? Quidam, *respo. Flam. de resign. lib. 9. quest. 24. num. 41.* sententur non esse idem iuris de tali procuratore, quod est de procuratore dato ad simpliciter beneficium resignandum. Verum alii probabilius, vt refert *idem Flamin. loco cit.* idem iuris esse dixerunt, quotiescumque post supplicationem à procuratore porrectam, & à Pontifice signatam, & à Datarario recognitam resignantis mortem obierit. Postremo, si procurator viuo resignante mandato vsus non fuerit, ita vt nihil inceptum, nequit post eius mortem consensum præstare, quia mandatum obitu mandantis finitum est.

Decimoquarto quæritur, An procurator ad resignandum beneficium datus reuocari queat? Respondeo, posse: vt constat ex *Clemen. 1. de renuntiatio.* Potest autem dominus procuratorem reuocare expresse, vel tacite, videlicet, si alium procuratorem constituat, ac procuratoris reuocatio locum non habet, postquam procurator consensum expressum in Cancellaria, vel Camera Apostolica præstiterit. *Flamin. de resignationi. lib. 9. quest. 25. num. 4.* eo enim consensu omnino aboluit resignatio: ante vero potest procurator reuocari etiam post supplicationem porrectam, ita vt dominus beneficii possit aliam supplicationem offerre, & signandam curare, ac in postea consensum præstare: quoniam per consensum, quem in curia paruum appellat, & per supplicationem porrectam, & signatam, & recognitam à Datarario, quam vocat datam paruum, non perficitur omnino resignatio, donec in Cancellaria, & camera Apostolica præstetur consensus, quem dicunt expressum. *Flamin. loco cit.* Quapropter si Titius Beneficiarius Caium procuratorem constituit ad Canonicatum resignandum, potest ipsum reuocare etiam post supplicationem porrectam, & signatam, & datum paruum consensum. Quo fit, vt si beneficium per alium procuratorem resignauerit, qui in Cancellaria, & Camera Apostolica consensum expressum præstiterit, valeat huiusmodi resignatio. Sed quoniam modo fieri debet talis procuratoris reuocatio? Respondeo, mandatum non censetur reuocatum, nisi reuocatio ipsi procuratori prius denunciata fuerit. *Vitalis in Clem. 1. de renuntiatio.* Itaque si procurator resignauerit ante denunciationem, rata est & firma resignatio. Porro ostendi reuocatio debet in Cancellaria, & Camera Apostolica, ita vt postea procurator consensum præstare non possit. Nec opus est, vt ipsi procuratori denuntiatio fiat: nam satis est, si eorum Notariis Cancellariae, & Camerae Apostolicæ denuntietur. *Flamin. de resign. lib. 9. quest. 26. num. 1.* nam sufficit, si reuocatio veniat ad notitiam superioris: debet tamen vtroque in loco denuntari; quia cum literæ Pontificæ, vel per Cameraam, vel per Cancellariam deantur, denuntiatio fieri debet in vtroque loco. *Rebuff. in consil. 90. num. 13.* & dicit esse communem sententiam. *Flamin. de resign. lib. 9. quest. 26. num. 8.* Quamuis autem necesse non sit, vt ipsi procuratori ostendatur, sufficit tamen, si speciatim fuerit reuocatio illi denunciata. Nam in *Clem. 1. de renuntiatio.* dicitur sufficere, si reuocatio ipsi procuratori prænuntiata sit. Vsu receptum est, vt refert, & testatur *Flamin. de resign. lib. 9. quest. 26. num. 11.* vt si Beneficiarius abijt à curia Romana, & velit Titium procuratorem à se constitui reuocare, alium nempe Caium,

procuratorem deligat in Romana curia commorantem, cui mandat, vt reuocet traditum à se mandatam Titio de beneficio resignando, ac ei adimat omnem potestatem, & vt ipsam reuocationem denuntiet in Cancellaria, & Camera Apostolica: Aliquando vero ipse beneficiarius absens ab vrbe coram tabellione, & testibus reuocat Titium procuratorem à se ante delectum: & eadem Scriptura per tabellionem confecta Caium procuratorem creat, qui in vrbe denuntiet Titio reuocationem à se factam. Caius deinde procurator in vrbe præsens accepto mandato, vel Titio procuratori, vel in Cancellaria & Camera Apostolica denuntiat.

Sed quid si procurator habens mandatam de resignando beneficio, literas accipiat à beneficiario, quibus mandat ne de resignatione aliquid agat, nisi denuo admonetur, & nihilominus beneficium resignat, & in resignatione consensum præstat expressum, nunquid valet talis resignatio? Respondeo, minime. *Flam. de resig. lib. 9. quest. 28.* quia licet per huiusmodi literas non sit procurator reuocatus, finitur tamen prior beneficiarii voluntas. Et hoc sufficit, continet enim vim reuocationis, & locum habet, etiam si literæ fuerint ad procuratorem perlatæ, vbi per eum potestata supplicatio signata est à Pontifice, & à Datario recognita: nihil enim amplius procurator agere potest, hoc est dicere, nequit in Cancellaria, & Camera Pontificia expressum in resignatione præstare consensum.

Decimo quinto quaeritur, Vbi nam beneficia vacare dicantur, cum vacant ex permutatione facta per procuratores ad id speciale mandatam habentes: num in loco vbi procuratores beneficia permurant, an potius in loco, vbi domini constituerunt procuratores, & ad permurandum speciale mandatam dederunt? Dux sunt opiniones. Vna docet vacare in eo loco vbi commorantur domini, qui mandatam procuratoribus dederunt. Vnde si in curia Romana commorentur, in ea vacant beneficia, licet extra curiam permutatio fiat per procuratores, *sic Imola in cap. ult. de verum permutat. in 6.* & probare inde videtur, quia ibi beneficium vacare videtur, vbi est is, qui ius habet in eo: nam is dicitur sua Ecclesia viduari. Altera opinio vult, vacare beneficio in loco, vbi procuratores beneficia permurant, non vbi domini commorantur. *Archidiacon. cap. 2. de preben. in 6.* Sic Ioannes Andreas in *Clemen. 1. de lita pendens. Et Clemen. in plerisque, de elect.* quem sequitur *Aggidius de permutatione beneficio. parte 8. quest. 3. num. 10.* sic communiter alii, *vt testatur Flamin. de resig. lib. 9. quest. 14.* Et hæc opinio est verior, vt supra etiam dixi in hoc libro, c. 17. quest. 1. secus vero est, cum amicus vel alius meum beneficium resignasset permurasset, & ego id postea ratum habuissem: tunc enim vacat beneficium in loco, vbi ego resignationem ratam habeo. *Sic Ioannes Andreas.*

C A P. XXIII.

De his qua resignatarius facere debet.

PRIMO quaeritur, An resignatarius post supplicationem signatam, & à Datario recognitam, & ipsi redditam, debeat literas Pontificias conficiendas seu expediendas (vt loqui in curia consueuerunt) curare? Respondeo, communem esse Doctorum sententiam, per solam supplicationem à Pontifice signatam per verbum FIAT, vel FIAT V T P E T I T V R, Pontificiam gratiam perfici. *Calderinus, Baldus, Geminianus, Iason, Barbat. Rebuffus, & dicit Flamin. de resig. lib. 10. quest. 1. num. 1.* imo testibus *Baldo, Decio, Abbate, Felino, Alexand.* vt testatur idem *Flaminius loco citato*, solo verbo Summus Pontifex Titium certæ vrbe Episcopum, vel certæ Ecclesie Parochum aut Rectorem appellat, Episcopum illius vrbis, vel Ecclesie rectorem aut Parochum creat. Hoc tamen licet in iure communi locum habeat, vsu tamen in Romana curia recepto, vt ait idem *Flaminius loco prædicto*, Beneficiarius omne

ius amittit, si absque literis Pontificiis confectis & expeditis, beneficium possessionem capiat. Vnde per Cancellariæ regulam cautum est, ne iudices in causis sententiam pronuntient vigore supplicationum signatarum, sed vi literarum consueta formula expeditarum: in qua regula dicitur, ante literas Pontificias expeditas gratiam Apostolicam impetratam esse informem. Quare si Clericus qui à Romano Pontifice beneficium impetrauit, absque literis Pontificiis possessionem cœperit, pro intruso habetur, nec iuuari potest regula Cancellariæ de Annali aut Triennali possessore: nec ad illud beneficium obtinendum in posterum aptus est, vt sancitum est in Constitutione Iulii III. quæ incipit: *Santissimus in Christo Pater*, & in alia Bonificii VIII. *de elect. inter extraneos communes* fuerat constitutum, ne Episcopi sine literis Pontificiis Ecclesiarum possessionem assequantur, alioqui graues penas contracturi: de qua Constitutione superius dixi in hoc lib. 1. q. 1. Et 2. Possunt autem literæ Pontificiæ confici, & expediti mortuo Pontifice, qui supplicationem potestatem signauit, *teste Geminiano consil. 93. num. 13. Et Sarnensi in regula de publican. resignationib. quest. 6. num. 6.* Expediuntur vero literæ huiusmodi per succedentem Pontificem, facta mentione eius, quod prior Pontifex concesserat. *Abbas in cap. In nostra, de rescript. Felinus, Decius, & alii in Rubrica, de Constitutionibus.* Quæres, intra quantum temporis spatium resignatarius curare debeat, vt literæ Pontificiæ conficiantur? Respondeo, intra id tempus, quod ad promulgandas resignationes beneficiorum conceditur. De qua re in cap. proximo sequenti dicemus.

Secundo quaeritur, Quamnam resignatarius exprimere debeat in talium literarum impetratione, ne literæ subreptitiæ censentur? Respondeo, generatim ea omnia exprimi ab eo debere, quæ si tacerentur, Pontifex vel gratiam fuerat denegaturus, vel certe difficilius alioqui concessurus, *vt colligitur ex cap. Dudum. de elect. Et cap. super literis, Et cap. Postulasti, de rescript.* Quæ autem exprimi debent, ea sunt, vel à iure, vel vsu in curia Romana recepto inducta. *Glossa in Clemen. 1. in verbo. Alteri, de preben. Decius in cap. super literis, de rescript.* Primum exprimi debet beneficii resignati conditio, siue qualitas, quæ in pluribus consistit. Primo vt ponatur nomen sancti illius, cuius honori dicata est Ecclesia, in qua situm est beneficium. *Glossa, Et ibi in cap. quamuis, de preben. in facto.* Secundo vt dicatur, An beneficium sit in Ecclesia Cathedrali. *Soluta de benefic. part. 3. quest. 11. num. 117.* Tertio, An ei insit cura animarum. *Rota decis. 1. num. 3. de offic. archiepiscopi in antiquis.* Quarto, An requiratur assiduam in Ecclesia beneficiarii præsentiam. *Abb. in cap. ad aures, num. 3. de rescript.* Quinto, An habeat dignitatem, & quamnam sit illa dignitas. *Felin. in cap. in nostra, num. 13. de rescript.* Sexto, si resignatarius sit Clericus secularis, dicere debet, An sit beneficium regulare, & an sit beneficium seculare, si resignatarius sit Clericus regularis. *Cas. decis. 4. de preben.* Septimo, An beneficium sit in Ecclesia hospitali, *Cardinalis, Et Imola Clem. ult. de offic. ord.* Octauo, An sit iure patronatus affectum. *Glossa in Clem. 2. de preben. Et ibi ceteri.* Nono, An sit electiuum. *Glossa in cap. cum illis, de preben. in 6.* Decimo, An sit alteri annexum. *Rota decis. 3. de verum permutat. in antiq. quod si duo sint beneficia coniuncta, quorum vnum accedit alteri, satis est principalis expressam fieri mentionem. Ions. And. in cap. super eo, de preben. in 6.* Undecimo, Si est regulare beneficium, An sit Manuale. *Calder. consil. 26. de preben.* Deinde exprimendus etiam est annuus beneficii resignati valor. *Flamin. de resig. lib. 10. quest. 2. num. 39.* quia verus beneficiorum valor aperiri debet non solum vt Annata soluatur, sed etiam, vt Pontifex sciat beneficii conferendi qualitatem, habita ratione eius, cui est conferendum.

Tertio, exprimendum resignatario est, sit ne Clericus. *Decius in cap. Cum de Deo, num. 3. de rescriptis*, quia laico beneficium iure conferri non potest: quod si mentiat se Clericum Romanum esse, cum tamen non sit, sed alterius diocesis, nullius est momenti resignatio, si beneficium sit